



Acta sanctorum

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

Quo dies duodecimus, decimus tertius et decimus quartus continentur

Bolland, Johannes

Parisiis et Romae, 1868

De S. Congano Abbate Confessore In Scotia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71232)

A tione: Author virginitatis, Domine Jesu Christe, nostrorum mentis et corporis conserva castitatem, et sanctarum virginum tuarum Findocæ et Fyncanæ intercessione et meritis earum sancto consortio jungamur in cœlestibus. Per Dnum, etc. Cum ex hisce dicti Breviarii verbis, venerationem Sanctis nostris aliquando exhibitam fuisse, constet, videmur fundamenti satis habere, ut iis in Opere nostro locum concedamus; at sufficientia documenta desunt, ut cum Boëtio et Arturo a Monasterio, illas S. Donevaldum patrem habuisse, dica-

mus. Quod vero ad Otham spectat, quam a Dempstero, Ferrario et Arturo a Monasterio hac die commemoratam videmus, quamque laudatus Arturus unam eandemque esse ac Mazotam contendit, res hæc 23 Decembris, quo die S. Mazota in ecclesia Aberdonensi, ut diximus, olim colebatur, inquiri poterit. Notatum interim velim, mihi huc usque de ipsius cultu haud satis constare, ut ipsi in Opere nostro locum tribuam; proinde si hanc a Mazota distinguendam esse, fuerit tunc probatum, inter Prætermisissos erit reponenda.

AUCTORE
J. B. F.

DE S. CONGANO ABBATE CONFESSORE

IN SCOTIA.

B

E Breviario Aberdonensi et Martyrologiis.

E

VEROSIMILIUS
SECVLI VIII
INITIO.

S. Conganus, in Curcunia hodie cultus, qui, quamvis cum S. Congano, ad 11 Augusti cultu,

Cum non raro fiat, ut unus idemque Sanctus duobus diebus diversis colatur Fastisque Sacris exstet inscriptus, enimvero, an S. Conganus abbas, quem in Curcunia, Occidentali Mediæ regione, hac XIII Octobris die coli, Colganus in quarta ad S. Columbæ, abbatis Hienensis, Vitam Appendice cap. 2, num. 13 e Mariano Gormanio et Maguiro, itemque e Tamactensi et Dunggallensi Martyrologiis docet, unus idemque cum S. Congano, qui, ut loco citato idem Colganus ait, 11 Augusti die colitur, non sit, decessores nostri olim haud immerito ad eandem secundam mensis hujus diem in Prætermisissis, dierum, quibus seu unus seu geminis Conganus colitur, diversitate insuper habita, revocarunt in dubium; rei autem, quam ulterius discutiendam inde huc remisere, certo decidenda ac extra omnem controversiam ponenda necdum quid sat aptum, diligentissima licet facta indagine, reperire quivi, nec facile reperitum iri, puto.

C unus idemque certo esse vel certo non esse haud videtur,

2 Cum enim nihil plane, quod ad Congani, secunda Augusti die culti, vitam gestave spectet, noscatur, unde, quæso, illum cum Congano, hodie cultu, certo exstitisse vel non exstitisse eundem, tuto ac commode absque errandi periculo elicere quis queat? Fuisse Comganum, qui 11 Augusti colitur, Celde, id est, Culdeum seu Dei-Colam cognominatum, Colganus loco citato prodit; verum apud antiquos Scotos, quorum patria, uti eruditorum etiam vulgo notum est, erat Hibernia, vel universi, ut nonnullis placet, Deo consecrati homines, vel soli, quemadmodum altiis (Cangium in mediæ et infimæ Latinitatis Glossario ad vocabulum Colidei consule) est visum, seu monachi, seu presbyteri, nondum monachi, Kelde seu Culdei fuere nuncupati; quare, si primum obtinuerit locum, tam S. Conganus, qui hodie, quam S. Conganus, qui secunda Augusti colitur, Kel-de seu Culdeus potuerit cognominari; quod si autem soli seu monachi seu presbyteri nondum monachi dicti fuerint Culdei, cognomentum isthoc Congano, secunda Augusti cultu,

at non itidem Congano, qui hodie colitur, adhaesisset, sola Colgani, id absque testimonio sat antiquo indicantis, auctoritate credendum non est. Quare, quidquid de Kel de seu Culdei, quod Congano, secunda Augusti die culto, fuerit tributum cognomento sit, nec inde etiam omnis, anne hic cum Congano, hodie culto, unus idemque haud sit, tollitur ambi-gendi locus; ut proinde decessores nostri, omnibus consideratis, merito adhuc de re dubitare potuisse videantur.

3 Verum, etsi sic habeant, verosimillime tamen S. Conganus, hodie in Curcunia Hiberniæ regione, ut Colganus ait, cultus, a Congano, secunda Augusti die culto, exstiterit ob jam nunc dicenda diversus. In Ms., qui penes nos exstat, Sanctorum Scotiæ Catalogo seu potius Calendario S. Conganus abbas, Turraviensis in Buchania, Scotiæ hodiernæ Septentrionalis provincia, patronus hodie signatur, habetque hodie pariter in ecclesiæ cathedralis Aberdonensis, quod anno 1509 Edemburgi typis Nalteri Schepman fuit excusum, quodque in egrapho, manu exarato, penes nos exstat, Breviario ecclesiasticum novem Lectionum Officium; etsi autem inter Congani et Comgani nomina litterulæ unius discrimen intercedat, hunc tamen, quem hodie in Curcunia, Hiberniæ regione, coli, Colganus loco supra citato ait, cum Congano, quem in cathedrali Aberdonensi Scotiæ ecclesia hodie pariter coli olimve coli soluisse, mox laudatum hujus Breviarium fidem facit, unum esse atque eundem, persuasum mihi vel ex eo habeo, quod ambo una eademque hodierna die utrobique a jam dictis colantur olimve certe culti fuerint. Scio quidem, fieri posse, ut Sanctus, qui determinato quopiam die ac loco colitur, a nominis ejusdem Sancto, qui eodem die alibi colitur, sit diversus, hincque adeo et ille constituent Sanctos duos, qui, quamvis homonymi eodemque die culti, invicem tamen sint distincti; verum id equidem non nisi rarissime accidit, in Congano, qui in Hibernia, et Congano, qui in Scotia hodie colitur, habere rei-

verosimillime tamen, quod cum S. Congano, in cathedrali Aberdonensi olim culto,

F

psa

AUCTORE
C. B.

unus idem-
que, uti hic
adducta sua-
dent, videa-
tur,

psa loco unum eumque haud esse, credendum absque gravi ratione non est; ratio autem hujusmodi allegari in casu posse haud videtur.

4 Conganus quidem, qui a Colgano memoratur, in Hibernia, Conganus vero, qui ecclesiasticum in Aberdonensi Breviario habet Officium, in Scotia abbatem egisse creditur; verum, ut plures alii fecisse leguntur, ita etiam Conganus ex Hibernia, relicto, cui ibidem præerat monasterio, in Scotiam, ubi abbatem pariter egerit, secessisse potest, idque eum re etiam ipsa fecisse, in animum induco, eo vel idcirco impulsus, quod vere ex Hibernia in Scotiam cum nonnullis aliis trajecisse ibidemque in Erchadia seu Argatelia, vulgo Argile, Scotici regni, quæ Hiberniæ adjacet, provincia, vitam solitariam duxisse, in Aberdonensi mox iterum laudato, in quo et abbas vocatur, Breviario tradatur. Conganus quidem, si plena huic in omnibus fides adhibenda sit, in Hibernia, priusquam inde in Scotiam trajiceret, non abbas, sed rex exstiterit, idque certe, quod et omnino, uti infra docebo, commentitium apparet, absque vade antiquo, quo caret, credendum non est; verum, etsi sic habeat, hinc tamen, nisi omnia etiam et singula, quæ in Breviario Aberdonensi de S. Congano narrantur, pro fictitiis pariter, quod verosimile haud apparet, sint habenda, impediri nemo debet, quo minus Conganum, hodie in Hibernia cultum, inde in Scotiam trajecisse, ac proin ob jam dicta cum Congano, in cathedrali Aberdonensi ecclesia hodie pariter olim culto, unum eundemque esse existimet. Et sane eum, qui ita æstimari, nihil nisi quod veritatis speciem apertissime præ se ferat, opinaturum, haud gravate, ni fallar, unusquisque agnoscat, qui, quæ jam allegavi, attente expendit.

a dicto Com-
gano, 2 Au-
gusti culto,
et a Comgano
Glinussensi
diversus,

5 Jam vero, cum sic habeat, ac Conganus, in cathedrali Aberdonensi ecclesia hodie olim cultus, e vivis demum, uti infra ostendam, sub seculi VIII initium excesserit, consecrarium fit, ut, qui cum hoc Scotiæ abbate unus idemque verosimillime e jam dictis est S. Conganus abbas, in Hibernia, ut Colgano docet, hodie pariter cultus, tam a S. Comgano, Glinussensi abbate, in Opus nostrum ad XXVII, qua colitur, Februarii diem jam illato, quam a S. Comgano, S. Columbæ, abbatis Hiensis, apud Colganum in Triade pag. 478 et sequenti memorato nepote verosimillime, cum horum quidem prior ante annum, uti a nobis de eo ad dictam Februarii diem adducta evincunt, 569, posterior vero anno, ut Colganus loco proxime citato docet, 663, vel certe seculo VII obierit, sit diversus seu distinctus; hinc autem, cum S. Conganus, S. Columbæ, abbatis, nepos, vel cum S. Comgano, cognomento Culdeo, qui 2 Augusti, vel cum S. Comgano, monasterii de Cluainchonnaidh abbate, qui hodie in Hibernia colitur, unus idemque, ut loco citato Colganus tradit, existat, consecrarium ulterius fit, ut horum posterior, utpote a S. Comgano, S. Columbæ abbatis nepote, e jam dictis diversus, a S. Comgano, cognomento Culdeo, qui 2 Augusti colitur, diversus pariter sit.

6 Porro, uti ex eo, quod S. Conganus, in cathedrali Aberdonensi ecclesia hodie olim cultus, verosimillime cum S. Comgano, in Curcna Hiber-

niæ regione hodie pariter culto, unus idemque sit, verosimillime esse hunc et a S. Comgano, Glinussensi abbate, et a S. Comgano, S. Columbæ Hiensis abbatis nepote, diversum seu distinctum, recte, ut jam docui, consequitur, ita etiam inde eundem, nec a Congano, seu, ut, nomine paululum immutato, vocatur, Cogano, qui ad XX Februarii diem, uti ad hanc in Prætermisissis monuimus, a Camerario de Scotorum Pietate refertur, nec a Cogano, qui ad XXIX Septembris diem, uti ad hanc in Prætermisissis pariter monuimus, Martyrologio Anglicano, anno 1608 excuso, exstat inscriptus, diversum esse seu distinctum, non inepte intuleris. Coganus enim, a Camerario memoratus, S. Kentigernæ, uti hic ait, exstiterit frater; quare, cum Conganus, in cathedrali Aberdonensi ecclesia hodie olim cultus, in ecclesiastico, quo in hac honorabatur, Officio S. Kentigernæ frater etiam vocetur, dubitandum non est, quin utrobique de uno eodemque Cogano sermo instituat. Quod modo ad Cogonum, a Martyrologio Anglicano ad XXIX Septembris diem in Scotia annuntiatum, spectat, hic non in Hibernia, in qua, qui hodie in cathedrali Aberdonensi ecclesia olim colebatur, natalis adeptus est Conganus, abbas, sed in Scotia natus in Anglicano isto Hagiologio diserte traditur; verum, cum hujus auctor recentiori dumtaxat ævo floruerit, in re adeo antiqua fidem indubitam sibi neutiquam adjungit, cumque a probatæ fidei scriptoribus abbas, nomine Coganus seu Conganus, qui cultu ecclesiastico in Scotia vel aliquando fuerit gavisus, nullus omnino præter Conganum, in cathedrali Aberdonensi ecclesia hodie olim cultum, memorari inveniatur, verosimillime cum hoc ac proin, uti e jam dictis consequitur, et cum Comgano, hodie, ut Colganus loco jam sæpius citato docet, in Curcna Hiberniæ regione culto, tam Martyrologii Anglicani, quam Camerarii Coganus unus idemque est.

7 Nec dubitandum apparet, quin cum Congano, in cathedrali Aberdonensi ecclesia olim culto, unus idemque pariter sit Conganus abbas, hodie in Usuardino apud Sollerium Greveni Auctario, non expresso, quo vel colatur vel floruerit, loco, memoratur; cum autem sic habeat, ex eo, quod et hic et alii jam relati nominis ejusdem Sancti a S. Comgano in cathedrali Aberdonensi ecclesia hodie olim culto, cum quo, ut jam docui, S. Comganus, in Curcna Hiberniæ regione hodie pariter cultus, unus idemque verosimillime est, diversi non sint, consecrarium etiam fit, ut hic non tantum supra memoratis Tam-lactensi et Dungallensi Marianique Gormani et Maguiri Martyrologiis, sed et mox citato Usuardino Auctario Camerarii que item de Scotorum Pietate libro et Martyrologio Anglicano, quibus et supra laudatum Sanctorum Scotiæ Calendarium ob eandem rationem addendum, censendus sit inscriptus. Nec tantum proxime etiam memoratis Fastis Sacris inscriptus, sed et cultu publico Turravii in Buchania, itemque in cathedrali Aberdonensi ecclesia, imo et in toto Scotiæ hodiernæ regno gaudere aut certe gavisus olim fuisse existimandus etiam est.

8 Multa enim, quæ modo, infelici invecata in religionem mutatione, sunt excisa, sacella altariaque nomine suo insignita in toto isto sparsim regno habuisse Coganus, Martyrologio Anglicano inscriptus, cum quo, ut dictum, unus idemque est, diserte in

D
contraque
eadem de
causa cum
Sanctis sibi
hominymis
hic memora-
tis unus
idemque ex-
stiterit,

E

omnibus Fa-
stis Sacris
hic citatis
inscriptus ac
porro in Sco-
tia etiam coli

F

certeque olim,
et quidem
novem Le-
ctionum Offi-
cio, cultus
fuisse est
censendus.

hoc

A hoc assertitur, Conganusque, cum quo pariter, ut jam sapius monui, unus idemque est, hodie, ut num. 2 jam docui, et veluti Turraviensis in Buchania patronus atque adeo veluti loco isthoc cultus, in Sanctorum Scotia Catalogo seu Kalendario mox iterum laudato memoratur, et in Aberdonensi, quod in insignis nominis hujus cathedralis totiusque adeo Scotianæ ecclesiæ usum anno 1509 excusum notatur, Breviario ecclesiasticum novem Lectionum habet Officium, in quo statim post titulum, quo in Turreff, eo ipso videlicet, ni fallar, mox nominato Turraviique appellatione distincto Buchaniæ in Scotia loco præcipue coli indicatur, sequens de eo Oratio recitanda proponitur: Deus, qui B. Conganum, pium pastorem, confessorem pariter et abbatem, præclaris decorasti miraculis, præsta, quæsumus, ut ejus meritis patrociniisque suffulti ad celestia mereamur gaudia pervenire. Per Dominum, etc. Orationi huic dein Lectiones sex de Sancti gestis propriæ subduntur, ac tum septima de expositione Evangelii: Nemo accendit lucernam; reliquaque omnia de Communi unius Abbatis et Confessoris assignantur. Lectiones istas seu S. Congano proprias lectori, cum præstantiora, e quibus hunc illius gesta edoceam, monumenta seu scripta haud suppetant, serie non interrupta, prout apud nos in Ms. dicti Breviarii exemplari easant, hic exhibeo, meum deinde de iis, quæ complectuntur aut tradunt, subnexurus judicium.

Harum sex Sancto propria,

B 9 Sic habent: Conganum, Kentigernæ matronæ germanum, B. Foëlanii abbatis charissimum esse ferunt avunculum. Hic illum ex Scotorum Hybernensium et Lageniensium regali genealogia descendisse et ab adolescentia militiæ deditum, arcu et equitum cursu exercitatum tradidit historia. Sed utrisque orbatu parentibus regnum paternum legibus et armis gubernandum, republicam ipsam et ejusdem utilitatem cunctis domesticis rebus et commodo singulari præferendam esse censuit et ordinavit. Catholicam fidem servandam et Dei sanctam Ecclesiam decorandam, Deo decimas solvendas et oblationes frugum terræ salutiferas Ecclesiæ sacerdotibus tradendas statuit, et sibi subjectis hæc et similia palam inviolabiliter servanda judicavit. Interea dum beatus ipse Conganus adeo regnum, sibi a Deo commissum, in pace et tranquillitate collocaret, ut omnes, qui suæ jurisdictioni traditi fuerant, sub Dei lege vivebant, invicem nemini injuriam inferentes in tantum, quod ejus doctrina et lege omnes Deo magis serviendum quam mundo præeligerent. Sed, quia bonorum operum insidiator inimicus est, ille inveteratus in vicinos conreges seu regulos zizaniam seminavit, et adversus B. Conganum dira excitavit bella, et ad suum regnum vi et armis depopulandum et de prædandum illorum animos commovit.

hic exhibentur,

C 10 Bello autem concitato et multis ferro et sagittis ultro citroque peremptis, Conganus tantam innocentem sanguinis aspersionem videns in fugam vertitur, et per hostes fugatus in pede sagitta percussus est; sed illorum manus divina virtute alia absque lesione evasit. Regno paterno et ipsius vana gloria derelictis, religionem ingreditur, et cum S. Kentigerna sorore sua,

matrona Deo deditissima et filiis ejus Foëlano, Fursæo et Ultano, viris Deo charissimis, ac septem clericis aliis in Scotiam navigio pervenit, et ad locum, qui Lochelech dicitur, in Erchadia Boreali, ubi acerrimam duxerat vitam, Christianam ubique annuncians fidem, solitariam vitam ducere regio præelegit palatio, et humili indutus cucullo castitatis aliis relinquebat exemplum. Quare eo in loco paulo post ob sanctitatem avunculi sui beatus ipse Foëlanus ecclesiam in ejus honore construxit, ubi in præsens usque hodie ab illius terræ incolis beatus ipse Conganus colitur et veneratur; qui post longam et diurnam hujus vitæ miseriam sub regula et habitu monachali sancte et devote vivendo spiritum Deo reddidit et in Iona sepultus est insula.

11 Tales sunt, in quas qualiscumque S. Congani abbatis Vita in Breviario Aberdonensi hodie dividitur, Lectiones priores sex. En modo, quod meum sit de iis, quæ tradunt, judicium. Horum nonnulla, imo pleraque, e populari dumtaxat traditione hausta videntur. Sane inde, quod initio scribit, sese hausisse, ipsemet, qui Lectiones illas contexit, auctor indicare videtur sequentibus hisce, quod ibidem memorat, verbis exponens: Conganum Kentigernæ matronæ germanum, B. Foëlanii abbatis charissimum esse ferunt avunculum. Beatus Foëlanus seu Filanus abbas, in Opus nostrum ad diem, qua in Sanctorum Scotorum Menologio a Camerario, in Calendario Scotiæ ab Adamo Regio et in Generali Sanctorum Catalogo a Ferrario memoratur, ix Januarii jam illatus, in Vitæ suæ epitome, quæ ibidem e Camerario profertur, e Kentigerna matre sanctissima traxisse originem assertitur; quod si autem id veritati consecrarium erit, ut ejus avunculus exstitisse Conganus, Kentigernæ germanus, in Breviarii Aberdonensis Lectionibus supra huc transcriptis recte dicatur; verum fide integra vel utcumque dignam esse dictam epitomen, nusquam probatum invenio, nec Kentigernæ germanum exstitisse Conganum sat certum apparet.

AUCTORE C. B.

nonnullis- que, quæ in has

E

12 Id quidem etiam affirmat, dum de Sancta hac ad vii Januarii diem tractat, lib. iii de Pietate Scotorum Camerarius; verum, etsi, quæ hic de S. Kentigerna scribit, Bollandus noster ante oculos habuerit, hanc tamen ad dictam vii Januarii diem inter Prætermisissos retulit, sese id facere insinuans, quod futurum speraret, ut certius quid fortassis de ea aliunde consequeremur. Attamen, cum non tantum a Camerario et a Lectionum, quæ de Congano Breviarium Aberdonense suppediat, auctore, sed et a Colgano, qui post editum a Bollandus Januarii relatumque in hoc inter Prætermisissos Kentigernam sedulo, quæ ad sanctam hanc viduam spectant, discussit ac vulgavit, frater ejus seu germanus exstitisse S. Conganus dicatur, nec quemquam hactenus, qui contrarium contendat, repererim, Conganum re etiam ipsa fuisse S. Kentigernæ germanum, sat probabile apparet, iisque proinde, qui id sibi persuasum habent, præfracte refragari nolim. Cum vere itaque S. Conganus S. Kentigernæ, ut apparet, exstiterit germanus, oportet, ut simul hic a Scotorum Hybernensium et Lageniensium regulo seu rege genitus credatur. Kentigerna enim, ejus e jam dictis soror, e Kelleo Cuallann, Lageniæ rege,

observari merentur

F

AUCTORE
C. B.

nata est, uti quæ Colganus, in *Scotorum Hiberniæ Actis de S. Kentigerna* ad VIII, qua hæc colitur, Januarii diem tractans, ibidem in *Notis* num. 7 ex *Annalibus Dungallensibus* allegat, dant probatum. Verum, etsi e *Kelleo, Lageniæ* rege, Conganus pariter, uti inde consequitur, sit natus, haud propterea tamen ipse patri in regnum illud, uti in *Lectio-nibus supra huc transcriptis* traditur, successisse est credendus.

in medium

13 Omnes enim et singulos, qui a seculi VI initio usque ad seculum XI, media sui parte jam elapsedum, in *Lagenia* regnarunt, principes seu reges Colganus in *Triade* pag. 598 e *diversis horum Catalogis et Dungallensibus Annalibus* recenset, neque tamen illos inter toto isto temporis spatio, quo certe Conganus, si *Lageniæ* rex unquam fuisset, ibidem regnasset, rex ullus, nomine Conganus, occurrit; cum autem sic habeat, ac proin commentitium sit S. Congani in *Lagenia* regnum, omnia pariter, quæ de illius in hoc gestis, facta deinde ex eodem expulsionem, adjunctisque hanc comitatis a *Lectio-nibus* auctore narrantur, commentitia sint censenda. Nec abs hoc *Fursæus* et *Ullanus*, veluti S. *Foilani*, ex *Kentigerna* nati, fratres, veritate salva, potuerunt obtrudi; *Foillanus* enim, cujus fratres exstiterunt *Ullanus* et *Fursæus*, ex eadem, ex qua hi, matre, quæ, non *Kentigerna* sed *Gelgehe* (*Operis nostri* tom. II Januarii pag. 45 in *Annotatis* videsis) fuit vocata, est natus, uti ex ejus, *Operi* nostro ad XXXI, qua colitur, Octobris diem inserendi *Vita Ms.*, penes nos exstante, intelligitur. Nec alia de causa *SS. Fursæum* et *Ullanum* S. *Foilani*, ex *Kentigerna* nati, fratres fecisse videtur *Lectio-nibus* auctor, quam quod S. *Foillanus*, *Gelgehes* filium cum S. *Foillano* seu *Filano*, ex *Kentigerna* nato, confuderit.

B

hic adductis,

14 Ast hunc abs illo esse diversum, vel ex eo liquet, quod prior quidem, uti, quæ ad primam *Maii* diem in S. *Ullano* et ad XVI Januarii in S. *Fursæo* jam docuimus, ostendunt, inter *Nivigellam Brabantæ* et *Fossam* seu *Fosseam* ditionis *Leodiensis oppidum*, a latronibus fuerit occisus; posterior vero, post vitam solitariam in *Scotia* hodierna actam, in pago ibidem, uti ad IX Januarii diem *Aberdonense*, quod penes nos *Ms.* exstat, quodque jam supra plus semel laudavimus, *Breviarium, Camerariusque* ex hoc et ex *Chronicis Paslatensibus* (*Operis nostri* tom. I Januarii pag. 594 consule) nos docet, migravit ad Dominum. Atque hinc quidem et ex aliis jam allegatis fidem indubitam omnibus, quæ supra datæ *Breviarii Aberdonensis* de S. Congano *Lectio-nibus* memoriæ produnt, adhibendam non esse, manifestum evadit; verum, quid modo de loco *Lochelch*, quo hic in *Erchadia Boreali* vitam admodum austeram duxisse in *isdem Lectio-nibus* traditur, dicamus? Locum istum in nullis usquam

C

Scotiæ Tabulis geographicis notatum invenio; quod autem ad *Erchadiam*, in qua situs fuerit, spectat, errorem in nomine isto cubare huicque nomen *Argadiæ* seu *Argateliæ*, vulgo *Argile*, substituendum esse, num. 4 jam monui.

D

15 Modo superest, ut, cum *insula Jona*, in qua *Sanctus sepullus* asseritur, satis superque vel e solo monasterio, a S. *Columba* ibidem exstructo, sit nota, hic dumtaxat de tempore, quo Conganus obierit, pauca adhuc, quod id utcumque determinem, *Lectorem* edoceam. *Leslaus* de rebus gestis *Scotorum* lib. IV in *Solvatio*, 64, ut statuit, horum rege, sic sub finem scribit: Circa hæc tempora viguere apud *Scotos* viri doctrina et religione insignes, *Macarius*, episcopus vigilantissimus, ... *Divinicus*, archidiaconus, *Coganus* et *Dunstanus* abbates, quanquam non desunt, qui hos sanctissimos viros in alia tempora rejiciunt. Cum *Solvatio* ab anno 768 usque ad annum 788 regnasse, laudatus auctor scribat, eo circiter temporis spatio, quod a priori ad posteriorem e duobus istis annis excurret, *Coganum* seu *Conganum* abbatem aliosque, quos per verba modo recitata memorat floruisse, hæc indicat, neque tamen, cum loquendi, qua utitur, methodus latitudinem aliquam patiatur, *Wiono* et *Martyrologii Anglicani* supra citati auctori, quorum alter obiisse, alter floruisse, anno circiter 760 *Coganum* seu *Conganum* scribit, contrarius est censendus.

tempus, quo
Conganus
obierit,

E

16 Verum, etsi sic habeat, videtur tamen *Conganum* obitus seculi VIII initio potius reponendus; quod ut opiner, movent me *Dungallenses Annales*, a *Colgano* in *Sanctorum in Hiberniæ Actis* sæpissime laudati. In illis enim, uti hic ibidem ad VII Januarii diem in *Notis* ad S. *Kentigernam* num. 7 docet, ad annum 713 sic scribitur: *Killeus Cuallann*, filius *Girthei*, rex *Lageniæ* obiit; ac deinde ad annum 728: *Coentigerna*, filia *Killei Cual-lann*, obiit; cum autem *Kentigerna*, quam anno 728 seu seculo VIII nondum admodum propecto obiisse laudati *Annales* sic tradunt, probabiliter, ut supra docui, exstiterit S. *Conganum* soror, hunc quoque non anno circiter 760 aut 780, sed seculo VIII nondum pariter admodum propecto obiisse, verosimilius ob dictorum *Annalium* auctoritatem apparet. Hi quidem sub seculi denum XVII initium fuerunt digesti, verum, cum equidem a viris, *Historiæ Hiberniæ* tum sacræ tum profanæ peritissimis, nec nisi e vetustioribus et probatoribus patriæ *Chronicis* et *Annalibus*, ut *Colganus* in *Præfatione, Sanctorum Hiberniæ*, qui tribus prioribus anni mensibus coluntur, *Actis* præmissa, docet, sint confecti, hinc sane illis potius, quam *Lesleo* aliisque mox laudatis scriptoribus, qui nec diu ante idem seculum XVII florere, nec, ut apparet, e monumentis adeo probatis sua acceperit, fidēs ea in re videtur adhibenda.

utcumque
determinatur.

F

DE